



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Severus. C. 15. FEb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

118 VITÆ SANCTORUM. 15. Feb.
vindicabit, è capitibus unum respondit.
Mox altero *quandonam*? roganti, ter-
tium caput, *in filios filiorum*, subjicit.
His aliisque prodigiis illustris SIGEFRI-
dus tumulum accepit in templo, quod
Vexione Angelorum jussu exadificarat.
Nunc inter Anglos Angelosque quàm ra-
rum commercium? quàm magnum, o
Magne Gregori, discrimen? *Ex Vit. A-*
quilon. Joan. Vastivit.

Gemina dulcedo suavitatis exuberat in
pectore Domini JESU, longanimitas vide-
licet in expectando, & in donando facili-
tas: ad hoc autem diu suspendit senten-
tiam ultionis à contemmente, ut quandoque
gratiam remissionis præstet in pœnitente.
S. Bern. ser. 9. sup. Cant.

S. SEVERUS. C. 15. Feb.

Est quod in Sacerdote SEVERO spe-
culentur ii, non animarum, sed rem
suam qui curant Sacram ædem, & in
hâc, ne Marianum fuisse dubites VIR-
GINIS aram curabat SEVERUS, vitæ inte-
gritate, & miraculis multum illustris.
Fortè putandis vitibus insistebat, cum
supervenit, qui ægrum, nescio quem,
opem afflagitare ultimam nuntiat, cæ-
terum sacris munitum non adhorreere ab
ultimâ luctâ Respondet SEVERUS, &
affuturum se illico spondet. Ut tamen
operi finem imponat (perpauillum su-
pe-

16. Feb. VITÆ SANCTORUM. 119
pererat) moram aliquantulam facit.
Indè celeri gressu dum ad moriturum
contendit, ecce mortuum audit, Hic
enim verò palâm SEVERUS se incusare,
veniam suam ut curaret, Domini vi-
neam neglexisse, morte crudeliorem
se fuisse: illam corpus peremisse, sese
animi latronem esse. Igitur funeri af-
fusus non prius à precibus lacrimisque,
quàm à morte defunctus surrexit. Et
narravit hic jam se ad ignea & tene-
bris infesta loca abductum pœnas ulti-
mas daturum fuisse, nisi Ephebus inter-
cessisset candore insignis, lacrimisque
donatum SEVERI tantisper nuntiasset,
dum noxas animi expiaret. Expiavit igitur
has, & septimo post die felicius obiit.
Quid hic illi, quos morituri non è
vineâ, sed vini tabernâ vocant, & sæpè
heu! frustra vocant, qui tamen ab inferis
revocare animos non possunt, sequi
possunt? *Ex Dialog. S. Greg. l. 1. c. 12.*

*Totus mundus ad unius animæ pretium
astimari non potest; non enim pro toto mun-
do Deus animam suam dare voluit, quam
pro anima humana dedit: sublimius est er-
go animæ pretium, quæ non nisi sanguine
Christi redimi potuit. S. Bern. l. Med.*

B. NICEPHORUS MART. 16. Feb.

NICEPHORUM Martyrem dicimus. Si
iræ non cedis, Lector, martyrem

H 4

alte-